THESES CONTROVERSAE

QUAS UNA CUM

COMMENTATIONE ARCHAEOLOGICA,

QUAE INSCRIPTA EST

DE CORINTHIACIS TABELLIS FICTILIBUS

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM ACADEMIA REGIA MONASTERIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

DIE XIV. MENSIS MARTII A. MDCCCXC

HORA XI

IN PUBLICO DEFENDET

ALBERTUS WORMSTALL,

GUESTFALUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

ADOLPHUS BRUENING, CAND. PHIL.
HERMANNUS LEPPERMANN, CAND. PHIL.
IOSEPHUS FRANKE, DR. PHIL.

MONASTERII GUESTF.

EX TYPOGRAPHIA ASCHENDORFFIANA.

MDCCCXC.

Theses.

1. Verisimile est in Cypseli arca non mediam, sed secundam et quartam zonam ceteris altiorem fuisse.

2. Interpretatio imaginum pharetrae illius Scythicae (v. Compte rendu 1863 tab. IV), quam nuper Robert (v. Jahrb, des arch. Inst., Archaeol. Anz. 1889, pag. 151) proposuit, admodum dubia est.

3. Brunnii interpretatio prostyporum, quibus sarcophagus ille clarissimus asservatus Wiltonhusiae decoratus est, ea quam Foerster praebet, probabilior videtur esse.

4. Vasa quae vocantur Protocorinthiaca Corinthiacae originis esse nego.

5. Gymnasiorum discipulis, quo melius cognoscant antiquorum vitam atque mores, electae vasorum imagines intentius, quam adhuc fieri solet, demonstrandae sunt.

Vita.

Natus sum Albertus Wormstall Monasterii Guestf. Kal. Juniis anni huius saeculi LXVII, patre Josepho, matre Elisabeth e gente Koppers. Matrem praematura morte mihi ereptam esse lugeo; pater integris adhuc viribus utitur. Fidem profiteor catholicam. Litterarum elementis imbutus per septem annos discipulus fui gymnasii Monasteriensis. Testimonium quod vocant maturitatis assecutus per sex menses in universitate Berolinensi, in academia Monasteriensi per septies senos menses studiis archaeologicis et philologicis operam dedi. Berolini scholis interfui virorum doctissimorum Furtwaengleri, Roberti Maassii; Monasterii me docuerunt VV. DD. Milchhoefer, Storck, Stahl, Langen, Hagemann, Bartholomae, Wuellner.

Omnibus viris bene de me meritis, imprimis Michhoefero et Furtwaenglero, gratias ago maximas.

Genus illud monumentorum fictilium, quae Graece πίνακας-πινάκια, Latine tabulas-tabellas vocamus, non ita diu viris, qui artis antiquae studio dediti sunt, notum est. Cum antea vix suspicarentur tabulas ex argilla fictas et picturis ornatas esse, primum maiore earum numero in acropoli Atheniensi detecto etiam in tabulis sive tabellis figlinis a Graecis pictum esse apparebat. De quibus Benndorf[1]) bene atque docte disputavit. Cui contigit, ut nonnulla scriptorum testimonia ad id tempus neglecta afferret, quibus usus ille eiusmodi tabellas dedicandi illustratur.

Usque ad initium huius decennii tabulae Athenienses solae erant notae, dum apud Corinthum permultae eius generis effossae sunt. Postero tempore Eleusine[2]) quoque fragmenta tabellarum fictilium in lucem prodierunt. Sed inter omnes cum numero, tum magna picturarum copia, quae in historia artis et culturae summi sunt momenti, tabellae Corinthiacae valde eminent.

Vere anni 1879 illae apud vicum, cui nomen est Pente-Scuphia, haud procul ab Acrocorintho situm, a rustico quodam repertae, tum Neacorinthum atque inde Athenas transportatae ibi venierunt.

Anno insequenti locum, quo effossae erant, perscrutatus est Arth. Milchhoefer. Qui animadvertit eas e spatio haud ita magno

---

[1]) Benndorf, griech. u. sicil. Vsb. pag. 3 sqq.

[2]) Ἐφ. ἀρχ. 1885. πιν. VIII 4; IX 12, 12a. Ἐφ. ἀρχ. 1889. πιν. XII, 2.

erutas atque vasorum testas perpaucas iis admixtas esse; aedificiorum reliquias invenit nullas. Unde a multis conclusum est tabellas non in templo, sed in arboribus luci cuiusdam sacri suspensas fuisse. Quae coniectura, etsi magnam veritatis speciem prae se fert, mihi tamen dubitationem movet. Nam fieri potuit, ut sacerdotes eas, cum viles et obsoletae esse viderentur et numerus earum aequo maior accumulatus esset, e templo[1]) tollerent atque, ne, ut sacrae, violarentur, in regione illa remota sub terra conderent. Fortasse etiam ligneo sacrario[1]) perantiquo fuerunt ornamento. Atque incertior tota res eo fit, quod tabellae in faucibus angustis abditae erant, ubi imbribus hiemalibus atque tempestatibus magnae soli commutationes effici solent.

Qua de re cum pro certo iudicare non possimus, nobis non dubium est, quin locus, quo tabellae collocatae erant, qualiscunque fuit, Neptuni, honoratissimi illius Corinthiorum dei, sacer fuerit; quod crebris Neptuni simulacris et verbis inscriptis dedicantium demonstratur.

Tabellarum numerus maximus est, sed pleraeque fractae atque contusae sunt neque colores bene permanserunt. Praeter duodecim, quas museum Parisinum nactum est, ceterae omnes a museis regiis Berolinensibus acquisitae ibi in antiquario asservantur. Quarum cum quadringentae adeo dirutae sint, ut nihil iam in iis cognosci possit, sexcentae plus minusve incolumes sunt. Quas Ad. Furtwaengler diligentissime doctissimeque disposuit atque descripsit in catalogo thesauri Berolinensis vasorum fictilium sub. num. 347—955 et 3920—3924; quinquaginta circiter earum bene atque pulchre in „Ant. Denkm.“ vol. I, tab. VII, VIII depictas esse gaudemus. Tabellas autem, quae Parisiis sunt, in libris Francogallicis[2]) descriptas atque depictas invenies.

[1]) Quae opinari non vetamur eo, quod magna tabellarum pars utrimque decorata est; nam tales ad clavos in parietes adactos aut ad partes prominentes simulacri dei etc. alligari potuisse non est negandum.

[2]) Gaz. archéol 1880 pag. 101 sqq; Rayet. — Mon. grecs 11—13 (1882—1884) pag. 23—32; Collignon. — Rayet et Collignon, hist. de la cér. grecque pag. 143 sqq. —— Praeterea de tabellis conferas: Annales des facultés de Bordeaux 1882; Collignon. — Gaz. des beaux arts XXVI, 1882 pag. 248; Rayet. — Ann. dell' Inst. 1882 tav. d'agg. U, pag. 182, Donner-Richter. — Deutsche Revue 1882 pag. 220 sqq, Arth. Milchhoefer. — Mitt. des ath. Inst. 1885, pag.

Tabellae formam habent quadrangulam, plerumque oblongam, rarius quadratam; pleraeque planae, paucae curvatae sunt. Altitudo et latitudo earum, ut sunt maiores minoresve, inter 5—30 cm. variat; crassitudo 0,15 cm. non transgreditur.

Partim unum, partim utrumque latus picturis ornatum est. Cum in uno imago apparet, pars angustior aut pars latior, prout magnitudine poscitur, superior est; cum aliter, saepissime fit, ut imago in altero latere per altitudinem, in altero per latitudinem tabellae porrigatur.

Tabellae foraminibus instructae sunt. Quae terebrabantur per argillam modo, dum mollis erat, quod e marginibus foraminum turgidis cognoscitur, modo cum iam siccata vel cocta esset, sed ante picturam descriptam,[1]) modo post imaginem perfectam atque id quidem nonnunquam ita, ut figurae ipsae magnopere sint laesae. Quae foramina (unum aut plura) saepissime in media parte superiore sunt vel in uno vel in utroque angulo superiore, rarius in quattuor angulis aut in parte inferiore. In tabellis autem utrimque decoratis pars superior eius lateris perforata est, quod insigne esse artifex voluit. Rarissime margo dexter aut laevus, cum picturae utrimque aeque directae sunt, foramina habet.

Iam quaeritur, utrum tabellae clavis affixae an funiculis suspensae fuerint. Sine dubio per foramina earum, quae in utroque latere picturam praebent, funiculi transmittebantur. Idem de ceteris tabellis crediderim, cum plerumque foramina earum ita disposita sint, ut verisimilius esse videatur eas alligatas fuisse. Ac ne quattuor quidem foraminibus per angulos terebratis demonstratur clavos fuisse adhibitos, quia quattuor foramina etiam

---

329 sqq; P. J. Meyer. — Hugo Bluemner, Techn. u. Term. der Gew. u. Künste bei Griechen u. Römern vol. IV pag. 203 sqq. - Arch. epigr. Mitt. aus Österreich XI pag. 205; Klein. — Baumeister, Denkm. des klass. Altert. s. v. „Seewesen"; Assmann. — Boehlau, quaest. de re vestiaria Graecorum. pag. 33 et 68. — De inscriptionibus tabellarum: Roehl, inscr. gr. ant. 1882 n 20 pag. 5 sqq; cf. Add. — Cauer, del. inscr. n. 81 $_{1-19}$. — Collitz, Samml. der gr. Dialectinschr. III, 3119a—k; Blass. — Arndt, Stud. zur Vskunde, pag. 5—7. — Klein, Meistersignaturen pag. 15, 28 sq.

[1]) Conferas tab. 764, in qua pictor foraminum margines nigra linea circumscripsit.

in tabellis[1]) utrimque decoratis inveniuntur. Quare improbandum est, quod Benndorf l. c. pag. 16 dicit: „die erstere (Art der Befestigung durch Bänder) ist für diejenigen Exemplare undenkbar, welche auch im unteren Rand ein Bohrloch zeigen. Dieselben können schwerlich anders, als durch Stifte befestigt gewesen sein.“

Color argillae tabellarum varius est, modo flavus vel subviridis, modo rutilus; superficiem nonnullarum, quae increscentis artis temporibus perfectae sunt (cf. tab. 486), rubro colore infectam cernis. Materia argillae saepius tenuis est et diligenter efficta, rarius asperior et parvis silicibus mixta. Latera tabellarum, etsi crebro non satis plana et aequa sunt, crebro etiam accurate atque pulchre polita apparent. Addo superficiem tabellarum plerumque non eadem cura tractatam esse, ac vasorum.

Pigmentum,[2]) quo imagines obductae sunt, non minus varium se offert; aut nigrum est aut fuscum aut rubrum propterea quod igne combustum est. Saepius pictor pigmentum tam tenue illevit, ut flavum esse videatur.

Color modo ruber, modo violaceus ad faciem, collum, himatium, partes corporis prominentes coloranda pigmento saepissime inductus est. Colorem album, qui ubique fere deletus est, raro tabellarum pictores adhibuerunt. Qui color vix invenitur, nisi in iis tabellis, quae recentiore tempore factae sunt (cf. tab. 486, 764). Quibus in picturis si re vera feminarum nudae partes eo insignes fuerunt, non argillae, sicut erat mos artificum Corinthiorum, sed pigmento illitus fuit. Singulari autem colore rubro pictor ad carnem colorandam usus est in tab. 387; similis color chitonis atque himatii in tab. 393 et puppis(?) in tab. 661 conspicitur. In eiusmodi picturis lineamenta pigmento diluto sunt ducta.

Pingendi tria genera discernimus:

picturas ad modum sciagraphicum factas, leviter atque inaccurate pictas, in quibus intus lineae duetae non sunt (Silhouettenmanier);

picturas, quarum maiores partes colorem argillae habent. (Thongrundige Manier);

---

[1]) cf. tabellam, quae in Gaz. arch 1880 pag. 105—106 depicta est.

[2]) Hoc nomine nostrum „Firniss“ appello.

picturas, quales in plurimis vasis Corinthiacis conspiciuntur, in quibus pigmento nigro vel rutilo color ruber persaepe illitus est.

Quamquam haec tria genera internoscimus, tamen unumquodque eorum certo tempori attribuere non licet. Primi enim generis imagines per omnia tempora antiquae figlinae Corinthiorum pictae videntur esse et in secundo et tertio caremus adhuc via et ratione de tempore pro certo iudicandi. Hoc unum autem constat vix ullam tabellam ante septimam vel post sextum saeculum a. Chr. n. factam esse.

Tabellarum maior numerus eadem ratione depictus est, qua vetustiora vasa Corinthiaca. Eius autem artis disciplinae, qua feminarum nudae partes albo colore insignes sunt factae, perpaucae tabellae adnumeranda sunt; picturae, quales, ut exemplo utar, in vase Berolinensi Amphiarai profectione ornato videmus, in tabellis paene frustra quaeruntur. Res certe mira est. Utrum igitur iis temporibus, quibus artifices albo colore libenter utebantur, hoc Neptuni sacrarium non iam ita, ut antea, frequentatum est, an artificiosior haec pingendi ratio in tabellis ornandis nimis pretiosa apparuit?

Hoc loco de nonnullis proprietatibus, quae in carne humana coloranda conspiciuntur, pauca addere mihi liceat. Plerumque virorum et mulierum membra diversum habent colorem; illorum caro nigra atque color ruber, id quod saepissime fit, faciei, collo, aliis corporis partibus illitus est (cf. tab. 347, 348 etc. etc. etc.). Rarissime virorum nudae partes colorem argillae habent, ut in tab. 385, 496. In una tabella (387) facies Neptuni infecta est colore, qui similitudinem coloris pellis humanae habet. Mulierum contra facies, collum, brachia, pedes ubique fere eundem ostendunt colorem, quem argilla (cf. tab. 475, 477, 487 etc. etc. etc.) Raro ab hac pingendi ratione pictores tabellarum discesserunt.

Sed redeamus ad rem. Lineamenta picturae interiora, nonnunquam etiam exteriora in argilla incisa sunt. Quod vix in primo genere picturarum fit, raro in secundo, atque id quidem in iis tantum partibus, quae coloratae sunt.

Perpaucae inveniuntur tabellae pro pictura prostypo e forma non ita alta expresso decoratae. Cuiusmodi ornatum tabella 541

gerit, in qua eques, et tabella 761, in qua leo apparet. Lineae paululum eminentes atque eadem ratione factae, quae in ornamenta compositae sunt, in marginibus tabellarum valde fractarum 935, 936 exstant. Latera quoque aversa tabellarum 435, 539 lineis parallelis leniter erectis instructa sunt.

Singulari vero, ne dicam unica, ratione tabella 615 decorata est; artifex enim lineamenta picturae inculte et inscite in argilla molli incidit.

Crebro picturae tabellarum simplicibus limitibus modo latis modo angustis aut lineis circumcluduntur. Nonnunquam etiam artificiosis ornamentis (orn. Maeandrio, spirali, undulato, aliis) margines instructi sunt. In parte superiore tabellae 905 B limitem latissimum cernis, quem explent viri Corinthiaco modo lascive saltantes. Commemoratione autem dignissimum est marginem superiorem tabellae pulchrae 486 in formam cymatii Dorici prominentis coloribus ornati effictum esse.

Omnes fere tabellae inscriptionibus signatae sunt, quibus Neptuno dedicabantur, et varia multaque nomina virorum piorum leguntur. Neque tamen ex inscriptionibus cognoscimus, qualem vitae condicionem illi habuerint. Licet tamen opinari pauperes et ignobiles homines deo vilia illa dona dedisse; nam parva tabella fictilis etiam iis temporibus haud magni aestimabatur. Accedit, quod tabellarum imagines ipsae in partem docere videntur, quales fuerint donatores. Neque enim, ubicumque officina figularis, fornaces, metalla, naves apparent, dubitandum est, quin in eiusmodi tabellis ii qui eas dedicaverunt opera in quibus ipsi versabantur expresserint, quin, ut exemplo utar, tabella figuli imagine ornata a figulo quodam suspensa fuerit.

Transeamus nunc ad describendas tabellarum picturas. Rem ita instituam, ut in magna variaque earum multitudine certa picturarum genera discernam. Dicam enim de numinibus heroibusque — de metallis aerariorumque arte — de fornacibus — de figlina — de navibus - de equitibus, militibus, venatoribus — de bestiis ornamentisque — de inscriptionibus. Quibus pauca de nonnullis picturis raris vel singularibus aliisque rebus addam.

I. De numinibus et heroibus.

Persaepe in tabellis Neptuni simulacrum apparet, qui antiquissimis temporibus Corinthi summo loco habebatur Corinthiorumque clarissimus erat deus. Ut erat numen grave et venerabile, antiquitatis more tabellarum artifices eum longa veste, chitone et himatio indutum plerumque depinxerunt; capilli taenia cohibiti longe per cervicem dependent et facies barba ornata est. Tranquille stans tridentem modo directum manu tenet, modo declivem allevat. Nonnunquam altera manu coronam (cf. Gaz. arch. 1880, pag. 104) gerit aut piscem (in tab. 460, 810 A) hic in palma prostratum, illic erectum; oenochoa autem, quae cum parte brachii in fragmento tabellae 461 conspicitur, Neptuni fuisse pro certo affirmari non potest. Is, quem dixi, Neptuni habitus in tabellis longe usitatissimus est. Rarius ille brevi tunica vestitus vel nudus incedit aut in equo sedet. Qui Neptuni equitantis typus iam e nummis Potidaeae urbis notus erat. In omnibus his figuris facies Neptuni barbata est; nonnullas autem tabellas imberbis Neptuni imagines prae se ferre Furtwaengler contendit. Res non indigna est quae accuratius examinetur, cum adhuc non confirmatum sit antiquissimis temporibus Neptunum etiam imberbem descriptum esse. Qua in quaestione nummi urbis Posidoniae, in quibus Neptunus nudus tridentem vibrans apparet, vix momentum faciunt; licet enim in nonnullis Neptunus barba paene carere videatur, hoc tamen nihili est propterea quod nummi illi parvi signa gestant, quae neque acute cusa et temporum iniquitate depravata de hac re nihil certi docent. In omnibus autem aliis monumentis, quantum equidem scio, non est dubitandum, quin Neptunus barbatus sit. Sed accuratius inspiciamus tabellas illas 471, 472, 474, 840 A, 841 A, in quibus Furtwaengler Neptunum imberbem se agnovisse arbitratur. Nihil valent in hac re diiudicanda picturae tabellarum 474, 840 A, 841 A, quia in modum sciagraphicum inaccuratissime designatae facultatem non dant internoscendi, utrum facies barbata sit an imberbis. Itaque tabellae 471, 472 solae respiciendae sunt. In tab. 471 vides virum nudum qui longos crines habet taenia cohibitos, pleno gradu tendentem ac tridentem sublato brachio vibrantem; in tab. 472 superiores tantum partes exstant. Cum

quaerimus, num Neptunus in his picturis appareat, tabellae 489 ratio habenda est, in qua depictus est Neptunus longa veste indutus habitu vulgari, cui praecedit vir nudus,[1]) qui hastile eodem modo atque supra dixi vibrat; caput viri et cuspidem hastilis deleta esse dolemus. Cuius viri cum dexterum corporis latus, laevum autem viri huic simillimi in tab. 471 conservatum sit mensuraeque corporum eaedem fere sint, forsitan putaveris ambas tabellas unius tabellae reliquias esse, quo certo demonstratum esset virum illum nudum non esse Neptunum. Sed fragmenta, quae in museo Berolinensi comparabam, inter se adaptari non posse cognovi. Nihilo setius ambas partes corporis ita formatae sunt, ut altera alteram suppleat. Itaque verisimile est, ne dicam certum virum nudum et in tab. 471 et in tab. 489 eundem deum vel heroem significare. Atque cum in tab. 489 vir ille Neptunus esse non possit, etiam in tab. 471 et 472 eum esse Neptunum negaverim.[2])

Hos igitur Neptuni typos in tabellis conspicimus: 1) typum Neptuni longa veste induti, tridentem directe et tranquille tenentis; 2) Neptuni aequalis tridentem paululum declivem gerentis; 3) Neptuni nudi aut brevi tunica induti modico gradu tendentis. Frustra autem quaesiveris Neptunum longa veste amictum, qui celeriter incedat, qualis in vasis Atticis occurrit.

Neque ubique Neptunus solus est, cum saepe ei coniunx Amphitrita adiuncta sit chitone longo et himatio induta, quo nonnunquam occiput habet velatum; aut contra aut una consistunt aut curru equis iuncto vehuntur. Rarius Amphitrita sola depicta est et aliquoties sceptrum aut coronam gestat.

Neptuno propinquus est Triton, cuius simulacrum bis in tabellis se praebet; Tritonis figura accurate descripta permansit in pictura tabellae paene integrae 485, in qua praeter eum etiam Neptunus, Amphitrita, alia femina apparent; caput longe et fluctuatim, ut deum marinum decet, crinitum et barbatum est

[1]) Furtwaengleri descriptio in parte falsa est; neque enim vere dicit virum nudum respicere neque animadvertit certa vestigia hastilis, quod manu vibrat.

[2]) Etiamsi in tab. 540 eques tridente armatus re vera non barbatus sit, tamen meam opinionem sustineo. Nam cum maiore verisimilitudine contendi possit viris in tab. 471, 472 conspicuis nomen Neptuni non attribuendum esse, quid est cur equitem illum imberbem Neptunum esse putemus?

atque corpus humanum in piscis caudam pinnis instructam desinit. Aeque memorabilis eius imago in tab. 781 est; vides enim reliquias iacentis, ut videtur, viri, qui habet corpus squamis obductum.

Non omittendus est hoc loco Melicertes, qui brevi tunica indutus atque in delphino sedens in tab. 779, 914 A. apparet. Idem typus in nummis Corinthiacis Romanorum temporibus cusis exstat.

Inter deos, qui mare obtinent, ille quoque numerandus est, quem capite privatum in tab. 780 videmus; nudus et dextera tridentem vibrans in bestia fabulosa sedet, quae draconis corpus et caput canis distenso rictu atque hirci barbam habet. Quam barbam ille manu non tenet, ut Furtwaengler putat, cum res, quam manu circumcludit, a barba omnino separata sit. Equidem Milchhoeferi opinioni publici iuris non factae assentior, cui illa concha videtur esse. Quod vero nomen viro dandum sit, adhuc minus constat. Furtwaengler eum non sine magna dubitatione Melicertem nominat; sed delphinus, ut mea fert opinio, Melicertis proprius est, non draco marinus; in similibus autem monstris saepius Nereus equitat, qui in hac quoque tabella haud scio an agnoscendus sit. Qua in quaestione formae corporis magis iuvenili haud ita multum tribuendum est, quia veteres vasorum pictores discrimen in corpore iuvenili, virili, senili designando non satis exprimere poterant.

Iovis nomen in tab. 490 figurae praeter scipionem et partem himatii omnino deletae additum est. Paulo plus, quam in hoc fragmento, in tab. 768 de Iovis forma exstat, ubi reliquias viri nudi conspicimus alta statura insignis, qui sublevato brachio fulmen vibrat longeque procedit; hunc sagittarius arcum tendens sequitur. Cuius imaginis interpretationem, quam Furtwaengler proponit, comprobaverim. Putat enim altera figura Iovem, altera Herculem repraesentari ambosque in gigantomachia versari. In hac igitur tabella antiquior ille typus Iovis nudi apparet pleno gradu tendentis fulmenque vibrantis.

Miserae reliquiae simulacrorum Mercurii una cum Neptuni et Amphitritae figuris in duabus tabellis (486, 494) temporum iniquitates pertulerunt; in tab. 486 nihil permansit, nisi manus et caduceus ea specie, qua in vasis nigri generis esse solet; e

tabella 494 hoc solum cognosci potest Mercurium, ut antiquitatis more depingebatur, barbatum atque pallio indutum fuisse; manu dextera caduceum gestat forma singulari: in inferiorem enim circulum cuspidis, quae usitatam formam habet, ornamentum immissum est, quod cum trifolio conferre licet.

Minervam inter heroes belli Troici versantem in pictura tabellae 764 videmus, quae potius Atticae quam Corinthiacae artis est. Induta longo chitone, apoptygmate(?) instructo, et dextera hastam tenens curru vehitur; neque galeam neque aegida gestat. Magna quoque figura, quae in tab. 801 B. apparet, Minerva habenda est; longa veste amicta et parma hastaque armata in praefurnio fornacis stat modice pedem proferens. Palladii autem certa imago in tab. 840 B. cernitur.

Neque Dianae illius „Persicae“ imagines, quae ab artificibus vetustissimis saepissime pingebantur, frustra quaerimus; in tab. enim 907 A partes eius superiores, caput dico calatho ornatum, alas praecurvatas, manum laevam, quae anserem tenet, in tab. 908 A inferiores reliquae sunt.

Sed hace hactenus. Transeo a deis deabusque maioribus ad semideos heroesque atque primum quidem dicam de Hercule. Cuius simulacrum modo in fragmento 768 agnovimus, ubi sagittas emittens Jovi contra gigantes auxilium fert. Accedunt duae imagines Herculis Cercopes ad palum alligatos portantis (in tab. 766, 767). Sed quidquam certi de eius figura dici nequit, quia tabellae illae inaccuratissime pictae sunt. E numero duodecim Herculis factorum caedem leonis Nemeaei in tab. 910 B descriptam invenimus. Cuius tabellae alterum latus certamine Herculis et centauri cuiusdam ornatum erat; centaurus, cuius totum corpus crinitum est, quod punctis incisis significatur, antiquioris artis ritu pedes humanos habet. Quamquam utrimque Herculis figura deleta neque quidquam relictum est praeter partem inferiorem leonis et centauri, tamen ex habitu eorum pro certo colligere licet Herculis certamina ibi depicta fuisse.

Bellerophontis, clarissimi illius herois Corinthiorum, in Pegaso sedentis forma tabellae 909 A ornamentum est; mirum videtur, quod in hac una Pegasus depictus est, etsi tamquam signum urbis Corinthi erat et in antiquioribus nummis saepissime invenitur.

Ac ne Troici quidem proelii imago in tabellis deest. In tabella 764 enim, de qua iam in pag. 14 mentionem fecimus, certamen Pandari et Diomedis vides, cui intersunt Sthenelus et Teucer sagittarius atque Minerva[1]).

Postremum de tabella 769 hoc loco pauca commemoraverim. Furtwaengleri enim descriptioni non plane assentior. Nam affirmo hominem imberbem non clavam gestare, sed ramum nodosum, cuius folia in extremo laevo angulo conspiciuntur atque suspicor id, quod Furtwaengler „einen unklaren Ansatz im Rücken" nominat, fortasse initium corporis equini esse ita ut hac figura centaurus quidam significetur, qui ramum, ut saepius in vasis vetustis videmus, manu teneat. Neque minus dubium est, num alter vir tegumentum in capite habeat. Nam cum facies adversa depicta sit, mala pictoris arte mihi effectum esse videtur, ut crines ipsi capitis tegumenti speciem spectantium oculis praeberent.

II. De metallis aerariorumque arte.

Non ita saepe metallorum imagines in tabellis inveniuntur. Quae quamquam arte non sunt perfectae, tamen plurimi sunt aestimandae, quia solae inter magnum numerum monumentorum Graecorum metalla effingunt. Sed inspiciamus singulas tabellas. Insignis est tabella 871 B. Utrimque rupes vides abscissas; complures metallici in labore sunt; unus malleo, qui in altera parte acutus, in altera obtusus est, saxa aggreditur, alii confossa in corbibus ponunt et e fodina expromunt; desuperne dependet oenochoa, apta, si vere opinor, ad aquam operariis demittendam; dexterum latus asperum malleorumque ictibus dilaceratum; laevum aequaliter declive parvis procursibus pari intervallo inter se distantibus — id, quod Furtwaenglerum effugit — instructum est. Quos esse factos, ut operarii in fodinam descendere vel ex eo escendere possent, pro certo habeo. Eiusmodi fodinae iis locis fodiuntur, quibus aes in formam nidorum conglobatum non alte sub terra conditum est.

---

[1]) cf. Schneider, der troische Sagenkreis pag. 183.

In tabella valde laesa 872 B conspicis saxa imminentia, duo brachia, quibus malleus tenetur, iuvenem pleno sacco oneratum; in tab. 638, 639, 831 A., metallici vulgari habitu operantur. Quae tabellae omnino fere perfractae sunt. Hoc autem in tab. 639 cognosci potest metallicum non in fodina aperta laborare, sed in cuniculo subterraneo. Metallum quoque, cuius reliquias Milchhoefer apud Corinthum vidit, puteus erat declivis in rupem infossus. Itaque a Corinthiis et in fodinis apertis et in cuniculis lapides aerosi videntur effossi esse.

Iniuria autem Collignon picturas, quas dixi, non ad metalla, sed ad fodinas, in quibus argilla effossa sit, pertinere existimat. Nam latera eiusmodi fodinarum alia sunt forma alioque habitu atque earum, quae in tabellis occurrunt; harum latera sunt aspera et dilacerata atque saepius suffossa, illarum mollia et aequalia. Accedit, quod argilla non malleis, sed aliis instrumentis tractatur. Ceterum in illis tabellis pictores metalla pingere voluisse tam clare elucet, ut non intellegam, cur Collignon[1]) metallicos dixerit „occupés sans doute à extraire l'argile destinée á la fabrication des vases."

Hae picturae summi sunt pretii ea quoque de causa, quod iis luculentissime apparet, apud Corinthum atque in vicinis regionibus etiam perantiquis temporibus aes effossum esse. Atque cum antea non satis staret opinio eorum, qui idem propter aeris vestigia in montibus reperta et propter copiosum commercium operum aeneorum, quod Corinthii antiquitus faciebant, arbitrabantur, nunc detectis tabellis repertisque a Milchhoefero antiquorum metallorum reliquiis res omnino patet.

Praetermissis ad tempus imaginibus fornacum aeris, hoc loco tabellam memorabilem 891, quae ad artem aeris fusorum aut fabri aerarii spectat, descripserim. Cuius in altero latere senex nudus albis capitis et barbae capillis laqueam ambabus manibus detrahere studet. Juxta eum mulier sedet longo chitone induta, quae crines habet breves. Nigrum quoddam et rotundum manibus tenet. Praeter haec nihil exstat. Quin vir folles moveat, quod suspicatur Furtwaengler, non dubitandum est. Quare officinam aut aeris fusoris aut fabri aerarii agnoscimus. Mulierem

[1]) Rayet et Colignon, hist. de la cér. grecque pag. 147.

vero in ea adesse nobis non mirum erit, cum imaginem vasis, quam Jahn[1]) in lucem edidit, respexerimus, in qua mulier in officina aerariorum apud fornacem stat. Quid autem sit quod in tabella mulier manibus tenet, e Plinii libri XXXIV capite 107 intellegitur, ubi de „panibus aeris“ sermo est.[2]) Talem aeris panem mulierem in tabellae imagine ad manus habere mihi verisimile videtur esse. — Alterius lateris picturam, in qua duo viri nudi, proni instrumenta incerta gerentes depicti sunt, explicare non audeo.

III. De fornacibus.

Fornaces, quas iterum iterumque in tabellis vides, plerumque e tholo magno, cuius in acumine ostium patet, et praefurnio minore forma quadrangula, in quo ignis ardet, consistunt; in tholi latere foramen semicirculatum, rarissime rotundum aut quadratum (cf. tab. 615, 623) apparet, quod tabula, quae ansa instructa est, praecluditur. Ignis longis lignis alitur. Dum flammae praefurnium lambunt atque exsuperant, operarii aut lignum in fornacem immittunt aut longo ferro vel rastro ignem incitant. Tholi ostium, per quod ignis exitum petit, hic atque illic simplici neque ita alto fumario circumdatur. Pro quo partem superiorem magni vasis, quod *πίϑου* formam habet, mirum in modum immissam bis cernis (in tab. 631, 802 B). Operarii in praefurnio aut in scala aut in tholo ipso stantes (cf. tab. 867 B) atque ferrum modo directum modo praecurvatum gerentes tholi ostium curare student. In pictura autem tabellae 800 B vir longa veste indutus, qui tabernae magister videtur esse, desuper in fornacis ostium introspicit persuasurus sibi omnia accurate esse effecta.

Utrum hae fornaces sint fornaces figulares, an ad metalla liquefacienda aptae, viri docti inter se dissentiunt. Quas cum Rayet[3]) „fours de poterie“ nominaverit, Furtwaenglero[4]) veri-

[1]) Ber. der Sächs. Ges. d. W. 1867, tab. V, 3; cf. Bluemner Term. und Technol. IV, pag. 364 sq.

[2]) cf. Bluemner l. c. pag. 203, 203,[1]

[3]) Gaz. arch. 1880, pag. 104.

[4]) Cat. Berol., pag. 70.

milius videbatur in illis metalla concocta esse. At argumenta, quae ab hoc allata sunt, non satis valent. Primum enim Furtwaengler propter magnitudinem fornacum, pro qua homines plerumque minores appareant, eas esse fornaces figulares negat. Sed eius opinio hoc argumento ita non fulcitur, ut contra debilitetur. Nam quantum scimus, fornaces, in quibus lapides aerosi conflabantur, antiquitatis temporibus humiles magnaque parte sub terra erant atque certe non magnitudine excellebant. Contra equidem arbitror fornacem figularem superantem hominis staturam unius vel duorum capitum longitudine inusitatam formam non praebere; saepius tamen fornaces operariis non altiores sunt. Sed huic rei maior vis non attribuenda est, cum plerumque vetusti artifices singulis picturae partibus iustas inter se mensuras dare nequirent. Neque res eo diiudicatur, ut infra videbimus, quod in perpaucis tabellis fossores et metalla apparent. Alicuius autem momenti esse forsitan videtur, quod saepissime operarii ferrum longum tenent et tholi ostium purgant „ein Verfahren“, ut ait Furtwaengler in cat. Berol., pag. 70*, „welches bei einem Töpferofen unverständlich, bei einem Hochofen sehr natürlich ist.“ Quo non convincor. Nam haud scio an figuli ardoris corroborandi frigidaeque aurae arcendae causa ostium fornacis terra, argilla, aliis rebus in partem obturaverint atque eo tempore, quo vasa satis percocta erant, aperuerint. Fortasse etiam ostium simplici machinatione instructum erat, quae illis ferris, prout res postulabat, regebatur.

Cum Furtwaengleri igitur argumentis nihil certi efficiatur, me probaturum esse spero Corinthios fornacibus illis non ad metalla conflanda, sed ad vasa concoquenda usos esse atque id quidem his de causis.

Fornaces sunt eadem forma, qua fornax figularis vasis referta, quae in tab. 893 A apparet; ut ceterae, illa e praefurnio et tholo constat. Sed etiamsi unica illa tabella deesset, tamen inopia has fornaces cum aliis comparandi non laboraremus. Nam in Gallia, Britannia, Bavaria,[1]), aliis regionibus[2]) fornaces figu-

---

[1]) cf. Bluemner l. c. II, pag. 23 sq.

[2]) Mentionem hic fecerim reliquiarum fornacis, quas ad oppidum Iburg, in provincia Hannovera situm, in vico, qui vocatur Laer, cum iam nonnullis

lares exstructae imperatorum Romanorum temporibus repertae sunt, quibus fornaces tabellarum sunt simillimae.

Vasa fictilia prope fornaces saepius inveniuntur (in tab. 608, 610 etc.). Quo indicari videtur figulos illas in usu habuisse.

In fornacibus antiquis lapides aerosi, id quod etiam hodie fit, per ostium, quod in summo cacumine patebat, iniciebantur. Ad quod omnino non aptum est ostium fornacum, quas in tabellis vides, cum angustius sit. Neque credi potest per portam illam semicirculatam aeris materiam esse immissam. Praeterea foramina, per quae aes liquidum profluat, frustra quaeruntur.

In latere adverso tabellae 885 vir vas formans, in averso fornax vulgari habitu apparet. Quam esse fornacem figularem vix negandum est. Nam picturam alterius lateris ad figlinam, alterius ad artem aeris fusorum spectare non credibile est, cum non dubium sit, quin figulus quidam hanc tabellam dedicaverit. Cum in hac igitur pictura fornax figularis agnoscenda sit, in ceteris tabellarum fornacibus, quae eadem forma sunt, idem valet. Neque vero quantum scio, tabella exstat, cuius in altero latere fodina vel aerariorum opus, in altero fornax illius formae de-

---

annis ante colonus eius regionis parem fornacem detexisset, Jostes et Effmann effoderunt. (cf. Z. f. vaterl. Gesch. u. Altertumskd., her. von dem Verein für Gesch. u. Altertumskd. Westfalens 1888, pag. 85 sqq., tab. VI.) Sed iis viris non contigit, ut probabiliter docerent, ad quem usum apta fuerit illa fornax. Postquam autem fornaces, de quibus dico, in comparationem vocavi, mihi non iam dubium est, quin etiam in fornace Laerensi, quia cum ceteris structura plane consentit, vasa vel lateres concocta sint. Atque cum fractorum vasorum testae, quae apud fornacem figularem reperiri solent, adhuc non occurrerint, melius fortasse est putare lateres ibi esse adustos, praesertim cum priore tempore a rustico quodam in ea regione vetustissimi lateres aliena ab iis, quibus nunc utimur, forma eruti et cum aliis mixti ad aedificium exstruendum adhibiti sint. Quod si vere, ut spero, statui, etiam de aetate, cuius illae reliquiae sint, conicere licet. Angrivarii enim, qui hanc regionem Germaniae septentrionalis incolebant, ut testis est Tacitus, Drusi et Germanici temporibus cum Romanis foedere et amicitia cuniuncti erant. Quare mea quidem sententia figuli Romani, qui mercaturae causa ibi morabantur, vel milites, qui fortasse ibi parvam coloniam vel castra constituerant, fornaces illas exstruxerunt. Negaverim vero illas Germanicae vel antiquioris originis esse.

Ut fit in omnibus fere monumentis, quae magistratuum cura non conservantur, etiam unicam illam fornacem rusticus, qui ibi habitat, diruit, ut lapidibus, e quibus exstructa erat, uti posset.

picta sint. De tabella autem illa Parisina (cf. Gaz. arch. 1880 pag. 105), quae imagine fornacis et viri bipennem vibrantis ornata est, quaerendum erit, utrum vir ille metallicus sit necne. Equidem illud negaverim; nam vir instrumentum gestat bipenne, quod in metallis non in usu est, neque lapidem, ut pro certo affirmari potest, sed aliam materiam contundit. Sequor Rayetum, qui operarium ligna diffindentem hic apparere putat.

Per se quidem verisimillimum est in tabellarum picturis fornaces figulares esse. An putas fornaces figulares, sine quibus res fictiles perfici non possunt, in nulla tabella depictas esse, cum ceterae partes artis figulorum saepissime conspiciantur? Num statuemus plurimas illas fornacum imagines perpaucis picturis, in quibus metalla descripta sunt, respondere? Minime. His causis me demonstrasse confido has tabellarum fornaces esse fornaces figulares.

Venimus nunc ad illam tabellam, in qua imago fornacis figularis per longitudinem dimidiatae exstat. In tholo rotundo decem oenochoae et una amphora[1]) aliam super aliam confuse collocatae apparent; in summo tholo flammis via patefacta; focus, qui infra vasa est, pila vel muro in duas partes divisus, quarum laeva punctis, quibus carbones significari recte Furtwaengler arbitratur, dextera re difficili[2]) cognitu expletur. Ignis ardor non per multa foramina, sed per paucos canales per tholi fundum terebratos ad vasa concoquenda inducitur; praefurnium, cum ea pars tabellae deleta sit, non iam conspicitur. Sed non dubium est, id quod inferiores fornacis partes docent, quin depictum fuerit.

Cuius fornacis structuram contemplantes miramur illam antiquissimis temporibus exceptis minoribus varietatibus eandem fuisse atque fornacum Romanorum, quae imperatoribus regnantibus in usu erant. Quae omnes e foco praefurnio instructo atque e tholo constant et in omnibus ignis per foramina in tholi cavum penetrat. Neque fornaces, quibus hodie figuli utuntur, struc-

[1]) Praeter haec vasa depicta mirum in modum varia et multiplicia lineamenta colore carentia tracta sunt, quae partim et ipsa vasorum formas indicant.

[2]) Quam flammam rubram esse nullo modo concesserim.

tura plane dissimiles sunt. Videmus igitur, per quot saecula continua traditione id servatum sit, quod ad usum accommodatum vetustissima aetate bene inventum et comprobatum erat.

Recentioribus saeculis vasa non igni ipsi exponuntur, sed in receptaculis (Muffeln) conduntur. Utrum Romani et Graeci eadem ratione vasa concoxerint necne ignoramus. Corinthiacos autem figulos aetate illa aliter fecisse ex tabella 893 A apparet. Quaerendum autem est, quomodo impeditum sit, quominus vasa fumo denigrarentur. Equidem opinor figulos in igne nutriendo lignum viride repudiasse et aridissimum tantum atque carbones adhibuisse, quibus flagrantibus fumus non ita magnus exsistit.

Cuius fornacis structura etiam perspicuum fit, quomodo factum sit, ut unum latus vasorum saepius aequo plus igne sit adustum. Nam lateribus inferioribus eorum, quae igni proxima in tholi fundo posita erant, maxima vis ignis sustinenda erat.

Cum vasa, ut in tabella illa videmus, aliud super aliud permixte neque iusto ordine in cratibus ferreis collocarentur, non est mirum ea mutuo pressu saepe inaequalia esse reddita. Sed existimo vasa artificiosiora hoc modo non bene concoqui potuisse neque dubito, quin iis perficiendis maior cura atque diligentia adhibita sit.

Praeter has fornaces figulares aliae in tabellis exstant. Quibus tholus est non semicirculatus, sed oblongior magisque erectus; praefurnio carent. In tabellis 610, 637, 811 eiusmodi fornaces vides. Hae quoque quin figulares habeantur, nihil impedit; Aegyptii enim iam antiquissimis temporibus huius modi fornacibus ad vasa concoquenda usi sunt et imagines quoque vasorum Graecorum [1]) similem formam docent. Duo igitur genera fornacum figularium fortasse in tabellis videmus.

In nonnullis tabellis tertiam ac maxime diversam formam conspicimus (cf. tab. 643, 808 B, 900 B). Has fornaces humillimas quibus praefurnium deest, comparare licet cum parvis pilis vel columnis[2]); ostium est latum, per quod flammae erumpunt; operarii longis ferris praecurvatis vel in extremo fine tran-

[1]) cf. Bluemner l. c. II, pag. 47, fig. 8.

[2]) Conferas fornacem, quae in prostypo Neapolitano est, quod Bluemner l. c. IV, tab. III, fig. 24. — pag. 251 sq. depinxit atque descripsit.

stro instructis ad fornacem accedunt. Eas igitur fornaces ad metalla liquefacienda aptas fuisse contendo, atque paucae earum imagines paucis illis metallorum imaginibus respondent. Quare intellegitur metallorum picturis omnino non demonstrari primae formae fornaces non esse figulares.

IV. De rota figulari aliisque picturis, quae ad figlinam spectant.

Ante tabellas repertas, exceptis paucis vasorum picturis[1]) atque iis partim non ita vetustis, de orbe figulari atque ea ratione qua vasa formabantur, nihil fere notum erat. In hac quoque re tabellae magnae auctoritatis sunt, cum in iis saepius picturae conspiciantur, quae ad artem figulorum spectent.

Vasorum figuratio in rota figulari fit, quae versatilis sude in terram adacta sustinetur. Dum rotam laeva manu, non pede, ut hodie fieri solet, movet, figulus aliquoties bacillo quodam usus vas medio in orbe stans format. Alii operarii spectatores sunt. Interdum acervum argillae humi iacentem videmus. Vasa comparata ad concoquendum vel cocta in scamno parieti affixo posita sunt (in tab. 640); in alia tabella (Gaz. arch. 1880 pag. 106) cocta ex uncis dependent.

His picturis perspicuum fit rotam in antiquissima figlina Corinthiaca non pede esse versatam. Atque cum rota apud Corinthios, qui antiquitus operibus figlinis illustres erant, ita esset constructa, ut manu tantum, non pede circumageretur, verisimillum est eam apud ceteras quoque Graeciae gentes antiquis temporibus meliorem structuram non habuisse.

Hoc loco non omiserim de variis vasorum formis, quae in tabellis apparent, pauca dicere; vides oenochoas (in tab. 640, 827B, 831B), scyphum (in tab. 641, 811B), amphoras (in tab. 871B, 893A). Amphora quoque altissima eius formae, quam „amphora

---

[2]) cf. Bluemner l. c. II, pag. 46 sqq. — Bluemner, Mitt. des ath. Inst. 1889, pag. 150 sqq.

a colonnette" vocamus, in orbi figulari stans, in tab. 868 B conspicitur. Quod quidem non neglegendum videtur esse, cum quaeritur, utrum origo vasorum illorum Corinthiaci generis in Italia repertorum Corinthi fuerit necne. Nam cum adhuc, quantum scio, Corinthi vasa huius formae non effossa sint atque saepius ii, qui vasa illa Italica in ipsa urbe Corintho perfecta esse negant, talia atque tanta vasa a figlina Corinthiaca aliena fuisse contendant, hac tabella demonstratur figulos Corinthiacos etiam eiusmodi vasa fabricatos esse. Neque mentione indignae sunt formae, quae in duabus aliis tabellis (v. tab. 884 B et Gaz. arch. pag. 106) depictae sunt; est enim amphora collo tenui atque ventre oblongo et amplo humilique pede et lecythus, cuius venter infra in acutum desinit, formae Protocorinthiacae similior.

V. De navibus.

Navium picturae, quas in tabellis vides, in antiquissimis sunt, quibus res nautica Graecorum illustratur atque eo pluris sunt habendae, quia in iis conspiciuntur naves Corinthiorum, qui inter Graecas gentes antiquitatis temporibus navigatione maxime florebant. Sed hae tabellae omnes fere adeo deletae sunt, ut modo minor pars, modo nihil fere restet.

Duo navium genera internoscimus, naves longas et naves onerarias. Illae vulgari sunt forma; prora prominet in speciem capitis bestiae (apri, canis vel lupi) constructa, atque magnus oculus aliquoties in ea pictus est; puppem curvatam fuisse tabella integra 836 B docet; malus vel remigium in hac frustra quaeritur.

Navis onerariae imago admodum illaesa in tabellis non permansit. Quoad cognoscere possumus, et prorae et puppes curvatae atque naves velis et remis instructae fuerunt.

Accuratius contemplemur formam navis in tab. 831 B depictae. Cuius puppis curvata atque crucibus duplicibus ornata longurio fulcitur. Media in navi malus erectus est, qui utrimque rudibus (2 προτόνοις — 1 ἐπιτόνῳ) sustinetur. Per totam navem transtrum in puppem immissum et apud malum utrimque sude statuminatum, quod nunc „Sprengwerk" vocatur, ductum est. — In superiore tabellae margine series oenochoarum

apparet, quibus significatur navem vasis oneratam fuisse, quae in alias terras exportarentur[1]).

Denique de tabella contusa 652 brevi dicendum est. Cuius in pictura media pars navis remis instructae, qui e foraminibus in alvum navis terebratae prominent, conspicitur; lineamenta palmarum minorum, quae ne ad illa foramina quidem porrectae sunt, supra remos exstant; Furtwaengler ea non animadvertit. Qua imagine biremem repraesentari existimo, etsi bene mihi conscius sum hanc explicationem non extra omnem dubitationem esse. Nam non iniuria quispiam dixerit pictorem huius tabellae, si biremem pingere voluisset, superiores remos non tam breves et parvos descripturum fuisse. Sed haud scio an antiquissimus ille artifex remigium navis melius penicillo imitarinon potuerit. Contra negari nequit foraminibus illis paene pro certo demonstrari navem esse biremem. Neque enim in navibus uno ordine remorum instructis remi per foramina emittebantur, sed ad ipsum marginem navis superiorem affigebantur[2]).

VI. De equitibus, militibus, venatoribus.

Equis invehi Corinthios magnopere iuvasse videtur, cum in tabellis persaepe equites appareant. Qui modo barbati modo imberbes, nudi aut brevi tunica induti, brevem equitum hastam aut scipionem gestant. Nonnunquam caput eorum casside est tectum. Modo unus est, modo plures sunt una aut contra equitantes. Saepius quoque equites equos, de quibus descenderunt, lora manibus tenentes abducunt.[3]) Equus contra vincula tenax in tab. 856 punitur.[4]) Etiam equi soli apparent.

[1]) Qua in tabella cum Corinthios commercium vasorum per maria fecisse perspiciatur, quid est cur illos in Etruria et in aliis Italiae regionibus vasa venditasse negetur?

[2]) De eiusmodi biremibus v. Helbig, das Hom. Epos. pag. 56, sq; Micali, Mon. ant. tab. 103, 2. 3.

[3]) In tabellae 555 pictura inaccurata vides reliquias unius vel duorum equorum, quos lora tenens vir barbatus celeriter praecedit. Cuius mentionem facio propterea quod inter eam et prostypum illud Mycenaeum similitudo quaedam est.

[4]) Vir, qui in tab. 562 apparet (cf. Furtw. descr.) laeva manu lora tenuisse videtur; dextera non rhyton, sed fustem gestat.

Equorum Corinthiacorum figura diversa est ab ea, qua equi in monumentis Atticis esse solent. Equus enim Corinthiacus magnitudine insignis corpore graciliore et proceriore est; pedibus altis firmitas non deest. Contra corpus equi Attici altitudine inferioris breve est atque robustum ne dicam crassum, et pedes habet breves atque compactos. Sed in tabellis quoque et aliis monumentis Corinthiacis equi conspiciuntur Atticis simillimi neque in Atticis monumentis equorum forma Corinthiaca desideratur.

Crebro milites aut per amicitiam aut per inimicitias congressos in tabellis vides. Modo nudi modo thorace vel simplici chitone induti cassidem, parmam, ocreas, hastam gerunt.

Hoc loco non alienum est de armis militum pauca dicere. Cassis Corinthiaca non, ut Attica, capiti se applicat, sed altius est convexa; genae laminis teguntur, ita ut parva pars faciei a telis hostilibus non tuta sit. Cristarum forma varia est: longae atque latae aut ipsis cassidibus convexis affixae sunt aut praefixae in bullas vel tubera e summa casside prominentia dependent; rarissime duabus cristis utrimque demissis cassis instructa est (in tab. 796; cf. Ann. d. J. 1864 tav. d'agg. O. P.; J. of Hell. stud. I, 31; — Gerhard, A. Vb. III, 208, etc.

Thorax usque ad coxas pertinens angustiore limite prominente finitur. Sub thorace saepissime chiton geritur.

In armandis inferioribus corporis partibus Corinthii illis temporibus magnam curam atque diligentiam posuerunt. Neque enim crura tantum, sed aliquoties etiam femora ocreis sunt tecta (cf. tab. 595, 796B). Nonnunquam femora pro ocreis lineis spiralibus instructa cernis, (cf. tab. 591, 669) quae saepius in vasis quoque apparent (cf. Gerh., A. Vb. II, 122, 123; Mon. d. J. VI, 78 etc.). Quid hae spirales sibi velint usque ad hoc tempus valde incertum est. Quas artifices pinxisse, cum aut obsoletam militum armaturam in memoriam revocare vellent aut antiquiora exemplaria picturarum, in quibus ocreas illas depictas inveniebant, non satis bene intellecta imitarentur, ea de causa negaverim, quia in tabellis eiusdem aetatis et verae ocreae et spirales conspiciuntur. Mea opinio haec est: cum ocreae ex laminis aeneis factae fortasse nimis graves et militibus maiori impedimento essent, femora aere in spirales contorto, quod gladiorum

plagas exciperet, tegebantur. Haud quidem ignoro in compluribus imaginibus (cf. e. g. Gerh., A. Vb. III, 227, 230) has spirales quasi agglutinatas apparere et tam parvas atque simplices esse, ut eas more barbararum gentium in carne incisas et colore infectas esse crederes. Neque tamen tale apud Graecos fiebat atque ob hanc rem puto etiam has spirales ex aere factas femoribus tegumento fuisse.

Milites plerumque parma rotunda utuntur; cavum brachii immittendi causa duabus ansis, quarum altera in medio, altera margini propior est, instructum et saepenumero fimbriis ornatum est; in convexo ornamenta omnis generis variaeque bestiae apparent. Boeotii clipei forma occurrit in tab. 589, oblongi et utrimque in speciem semicirculi insecti. Simplicem clipeum oblongum Aiax in tab. 764 videtur gestasse.

Tela nihil insoliti aut proprii habent. Peditum hasta e longo hastili atque ferro non uncinato constat; breviore saepius equites utuntur.

Gladius latus neque ita brevis modo ferreo vecti, quo ictus vitantur, instructus, modo non instructus, sub laevo brachio dependet balteo in dextero humero imposito; capulus aliquoties fimbriis ornatus est.

Pharetra sagittis referta ad partem dexteram tergi loro, quod a laevo humero sub ala dextera ducitur, alligata est. Arcus non formam simplicem ligni curvati habet, sed dupliciter inflexi. Sagitta longa atque pennata in parte inferiore insecta est.

Transeamus ad eas tabellas, quarum picturae ad venatores venationemque spectant. In latere adverso tabellae Timonidae venator stat duabus hastis, gladio, pharetra armatus atque brevi chitone indutus; apud eum canis est forma illa, qua in monumentis archaicis esse solet.

Ut Corinthii artifices crebro et libenter venationem aprorum pinxerunt, ita in tabellis quoque non desideratur; in tab. fracta 894 B apri pars posterior conspicitur, quae sagitta percussa est, ut sanguis e vulnere fluat. Etiam viri barbati et hasta armati, qui in latere adverso eiusdem tabellae picti sunt, venatores videntur esse, qui venatione feliciter peracta alter alterum salutant.

VII. De bestiis atque ornamentis ad tabellas decorandas adhibitis.

Primum videamus, qualia sint ornamenta, quibus saepe margines tabellarum ornati sunt. Crebro apparet ornamentum astragali, simplex aut duplex variaque forma. Praeterea internoscimus ornamentum latruncularium (in tab. 709), spirale (in tab. 806), undulatum (in tab. 841), maeandrium (in tab. 750).

Deinceps dicendum est de iis tabellis, quarum unum vel utrumque latus bestiis aut ornamentis decoratum est. Pardi figuram in tab. 722, 723 vides, leonis in tab. 724, sphingis in tab. 725, 726, tauri in tab. 727—729, apri in tab. 740—744, anguis in tab. 745, noctuae in tab. 756, lotos flores et palmas internexas in tab. 762, rosam lotique florem in tab. 763. Saepius etiam in utroque latere bestiae vel ornamenta conspiciuntur: anguis-rosa in tab. 917; pardus-aper in tab. 918; ardea inter duos leones vel pardos-avis inter taurum et leonem vel pardum in tab. 919; pardus-cervus in tab. 921; sphinx-taurus in tab. 924; gallus-(?) in tab. 925; idem 926; equus-leo in tab. 928; sphinx-palma nexa loti gemmis in tab. 933; parvi circuli lineis curvatis coniuncti in tab. 934. Omnes hae variae bestiae ad vasa quoque Corinthiaca ornanda adhibitae sunt neque in ornamentis quidquam insoliti inest excepto eo, quod in tab. 934 apparet, quale in operibus geometricae artis non raro cernis.

Rarius alterum latus imagine, alterum bestiis vel ornamentis decoratum est: in tab. 842 viri corpus-sphingem; in tab. 892 fornacem-piscem; in tab. 899 virum-amplam rosam videmus. Sequitur ut de iis ornamentis dicam, quae spatiis vacuis sunt ornatui. Ut in vasorum picturis, in tabellis quoque artifices descripserunt rosas modo omnino coloratas, modo e punctis compositas, maculas inaccurate depictas, cruces, circulos, rotas, lineas acriter fractas. In nonnullis tabellis imagini Neptuni pisces additi sunt (in tab. 787 A, 808 A), neque polypus deest (v. tab. 787 A).

Perquam singularia sunt ornamenta tabellae 374, quae rosarum loco artifex impinxit. Inter haec duas formas internoscimus, quarum alteram conferre licet cum particula rotunda e reti no-

doso exsecta, cuius partes extremae crucibus instructae sunt. Similis generis rosas sed multo simpliciores in tab. 619, 929 vides. Hoc loco rosae quoquementionem facio, quae in vase Boetio quod depictum est „in Jahrb. des arch. Inst.“ 1888, pag. 342 fig. 25, apparet. – Altera forma mihi ab arte figlina aliena atque a laminis aeneis, quae ad decorandam supellectilem adhibebantur, petita videtur esse.

VIII. De inscriptionibus.

Inscriptiones aut sinistrorsum aut dextrorsum aut *βουστροφηδόν* versae plerumque in parte patente tabellarum inscriptae sunt; raro autem litteras in margine colorato (cf. tab. 846 B, 947) aut in ipsa pictura (cf. tab. 612) aut in argilla nuda incisas vides (cf. tab. 803).

Crebro ut in vasorum picturis fieri solet, unicuique figurae nomen adscriptum est; sed praeterea dedicantium quoque verba apparent; . . . . . *ἀνέθηκε Ποτειδᾶνι* vel *Ποτειδάϝονι ϝάνακτι* iterum iterumque legimus et multa nomina virorum Corinthiorum ac partim singularia in tab. exstant: *Λυσιάδας*, *Ἴγρων*, *Δόρκων*, *Κυλοίδας Ξενϝοκλῆς*, *Σιμίων*, *Εὐρυμήδης*, *Φλέβων Ἀσωπόδωρος*, *Ἀριστόφιλος*, alia.

Nonnulli pii viri sperantes numen donationem benificiis repensurum esse verbis *τὺ δὲ δὸς χαρίεσαν αμοιϝάν — ἀφορμάν* (?) deum omni tempore remunerationis atque praemii commonefacere student.

Viri, qui tabellam 838 in sacrario Neptuni posuerunt, longum iter videntur fecisse [1]; nam *Περαειόθεν ἵκομες* in ea legitur, quae verba non facilia sunt interpretatu. Quibus idem significari nonnulli arbitrantur atque Latinis verbis: „a Piraeeo venimus“. At haec explicatio minus probabilis videtur esse, quia in prima

[1]) Blassii coniecturam „*Περαειόθεν Μίκων μ'ἀνέθηκε*“ (v. Collitz, Samml. griech. Dialectinschr. III, pag. 66), postquam tabellam ipsam acute inspexi, omnino reicio. Litterae enim *ἵκομες* tam certae sunt ut de iis dubitare non liceat. Equidem Furtwaenglero adstipulor, quia mea quidem sententia eius lectio sola litteris ipsis satis accommodata est.

syllaba littera B apparet. Si viri illi a Piraeeo venissent, tabellae pictor non Γ Βϱαϝοϑεν, sed Γϝϱαϝοϑεν inscripsisset. Rectius cogitare licet de regione Asiae in conspectu Rhodi insulae sita, quam Graeci *Περαίαι* nominabant. Fortasse etiam ΓεϱΑϝόϑεν ἵκομες idem valet ac *πεϱΑΙόϑεν* [1]) ἵκομες = e regione transmarina venimus.

In aliis tabellis verbis *Ἀμφιτϱίτα ἐμί* Amphitrita ipsius imaginem esse pronuntiat aut inscriptione *Ἀμφιτϱίτας ἐμί* tabellam sibi vindicat.

In tabella fracta 662 id quod pictores vasorum saepius fecerunt, litterarum ordo depictus est.

Pictorum duo vel tria nomina conspiciuntur. In tabella enim 846 *Τιμονίδας ἔγϱαψε Βία* inscriptum est; *Μιλονιδας ἔγϱαφε* in tabella, quadam Parisina legitur. Bias quoque, pater Timonidae in numero pictorum videtur habendus esse. — Timonidam qui vas illud, Cleonis repertum ornavit, eundem esse, atque eum, qui huic tabellae suum nomen imposuit, iure contenditur. Atque hac tabella demonstratur illum Timonidam non Cleonis, sed in ipsa urbe Corintho versatum esse.

Restat, ut de nonnullis inscriptionibus, quae summam interpetandi difficultatem praebent, pauca addam.

In tab. 524 hanc inscriptionem vides . . . . . . *ἀνέϑηκε Ποτι* (*δᾶνιϝ*) *ἀνα*(*κ*)*τι αὐτοποκια* [2]). Sub nomine *Αὐτοποκια* nomen proprium conditum et *Αὐτοποκια* formam esse casus genetivi numeri singularis, derivatam a nomine proprio *Αὐτοποκίας*, opinor. Qua in re haud ignoro nomina propria frustra quaeri, quorum altera parte stirps *πεκ* contineatur. Hesychius autem verbum „*αὐτοπόκιστον*“ (natura villosum) tradit et haud scio an nomen *Αὐτοποκίας* correptione hypocoristica nominis „*Αὐτοποκιστος*“ ortum sit. Fortasse igitur patri eius, qui hanc tabellam dedicavit, nomen Autopocias fuit. Sed rem in suspenso reliquerim.

In tab. 900 A duae exstant inscriptiones, altera in dextera parte media, altera in margine inferiore, quae inanes videntur

---

[1]) De litteris *Αϝ* pro *ΑΙ* scriptis conferas inscriptionem tabellae 764: *Ἀϑαναϝα* = *Ἀϑαναια.*

[2]) In hac quoque inscriptione Furtwaengleri lectionem sequor. *Αὐτοποεια* pro *Αὐτοποκια* Roehl et alii commendaverunt, sed iniuria.

esse.[1]) Sed respiciendum est, quod litterae arbitratu compositae in verba non coeuntia, quales ad spatium vacuum explendum in antiquioribus vasis adhibitae sunt, in his tabellis non occurrunt; tabellam 900 in hac re solam excipiendam esse non ita verisimile sit. Accedit, quod superiorem inscriptionem, si secundam eius litteram errore vel indiligentia pro littera Ƚ scriptam esse statuimus, initio inferioris inscriptionis rursus conspicimus.

Memorabilis etiam tabellae 937 inscriptio est; singulare enim ratione in maculo elliptico, quod pigmento coloratum est, litterae *αγαμε* [2]) incisae sunt.

IX. Varia.

De nonnullis tabellis raris vel singularibus.

Saltatio Corinthiaca in lato limite, quo margo superior tabellae 905B ornatus est, conspicitur; viri brevi tunica indutiערociter ac lascive saliunt. In tabella quoque Parisina (v. Gaz. arch. 1880 pag. 107) saltationem vides depictam.

Mentione dignissima pictura tabellae 865 A videtur esse, quam Furtwaengler his verbis descripsit: „Reiter im Schritt nach rechts, unbärtig. Auf dem Schwanzansatze des Rosses steht ein kleiner bartloser Mann (der Rand oben verhinderte ihn ihn größer zu bilden) der mit beiden Händen seinen langen stehenden Phallos umfaßt.“ Sed non conatus est eam interpretari. Ipse igitur eius rei periculum faciam. Inspicienti mihi opus illud Salzmanni, quod inscribitur „Nécropole de Camiros“, in tab. 57 vasis pictura occurrit, in qua praestigiatores, quod idem inscriptio docet, apparent; in laevo latere viri in gradibus sedentes obstupefacti manus tollunt; ante eos tibicen stat; in dextero vir in longurium eniti studet; in medio duos equos videmus, quorum in altero vir sedet; in extremam autem equi spinam, ubi cauda incipit, vir humili statura insiluit, qui parmam brachio gestat. Hae equitis et praestigiatoris figurae imagini

---

[1]) Cf. „Ant. Denkm.“ I, tab. VIII, 20.

[2]) Inscriptio integra est nec Blassii coniectura Ἀγαμέμνων (Collitz, Samml. griech. Dialectinschr. III, pag. 66) probari potest.

tabellae 865 A tam similes sunt, ut dubitari non possit, quin in hac quoque praestigiatores depicti sint. Eo tantum diversi sunt, quod in vasis pictura vir parmam gerit, in tabella penem, ut videtur, manibus tenet.

Neque tabella 783 praetereunda est. Cuius latus adversum linea in duas partes dividitur, quarum in superiore duo viri conspiciuntur alter alteri brachia porrigentes. [1]) Quos cum Furtwaengler pugiles esse suo iure existimasset, nuper Fraenkel [2]) contendit eos non esse pugi'es, sed viros qui messe opima (in inferiore parte depicta) laetarentur. Sed haec opinio non probabilis est. — In parte inferiore duo viri uvis carpendis occupati sunt. Alter saccum iam refersit, alter fruges in alium saccum, qui supra ne in solum cadat alligatus est, ingerit. Sacci e duobus pellibus consuti sunt ea ratione, ut infra in speciem caudae hirundinis desinant; anteriorum pedum pellis sutura ita coniuncta videtur esse, ut ansas praebeat habiles.

Mentione non indigna est pictura tabellae 839 B, in qua magnum caput muliebre lineis tantum descriptum cernis.

In tabellae 901 A pictura Furtwaengler sculptorem depictum esse opinatur. Quam interpretationem neque omnino probaverim, neque improbaverim. Sed cum eo comparaverim virum, qui in vase Cyprio in „Jahrb. des arch. Inst.“ 1886 tab. 8 depicto apparet. Ille statura et habitu, viro, quem Furtwaengler sculptorem esse putat, perquam similis est.

Tabellae quoque 784 pictura, in qua fabula de vulpe et corvo adumbrata est, maxime est memorabilis. Videmus arboris demissos ramos et infra vulpem sursum spectantem; corvi autem figura deleta est. Haec imago adhuc antiquissima est fabulae Graecae illustratio.

Restat ut de duabus aliis tabellis pauca addam. In tabella 889 A describenda Furtwaengler infra virum nudum brachia porrigentem compluria hominum capita delineata non vidit. Et in laevo et in dextero latere sub genibus bina capita taenia

---

[1]) Nummum Corinthiacum in comparationem voco, qui in Journ. of. Hell. stud. tab. 51 C 42 depictus est.

[2]) cf. Ant. Denkm. vol. I. pag. 4.

ornata conspiciuntur. Haec sunt parva, illa his minora. Ut hanc imaginem miram interpretarer, nullo modo mihi contigit.

Descriptio quoque fragmenti 906 B supplenda est. Exstant partes inferiores viri nudi, qui laevum pedem acervo imposuit; caput virile barbatum quod genui tamquam affixum videtur esse, Furtwaengler non animadvertit.

Appendix.

I. De crinium habitu.

Habitus capillorum Neptuni varius est. Cui communes sunt crines per cervicem effusi, qui in capite taenia saepissime angusta, rarius latiore, cohibentur; nonnunquam ea in nodum colligata est ita ut extremae partes dependeant. Pro taenia Neptuni caput diademate vel corona ornatum est in tab. 384, 454. Saepius media in fronte crines retroacti, cincinni, anuli apparent et capilli in anulos longos divisi per humeros defluunt.

Omissis rebus minoribus tres rationes capillos pectendi discerni possunt; frontis enim crines retroacti, cincinni, anuli desunt et capilli simplices per cervicem dependent, aut media in fronte crines concrispati vel in anulos vel in cincinnum contorti, ceteri autem capilli simplici comptu sunt, aut media in fronte crines eodem modo ornati sunt et longi anuli humeros obtegunt.

Rarius capilli infra cervicem colligantur (cf. tab. 347, 486).

Neque Neptunus solus, sed etiam alii viri hunc varium crinium habitum ostendunt.

In vasorum Corinthiacorum picturis eaedem rationes capillos pectendi conspiciuntur; ut exemplo utar, Periclymenus (v. Mon. d. J. VI, 14) crines frontis retroactos habet et longos anulos per humeros dependentes; crines medii iudicis in Peliae ludis funebribus (Mon. d. J. X, 4—5) eodem modo, atque Neptuni in tab. 460, compti sunt. Primus autem, quem distinximus capillorum habitus in vasis tam crebro invenitur, ut exempla eius afferre supervacaneum sit.

Hi diversi comptus illis temporibus Corinthi in more videntur fuisse apud viros nobiliores et divitiores, magistratus, sacer-

dotes, quamobrem Neptuni quoque caput sic ornatum est. Operarii autem, qui apud fornaces aut in metallis occupati sunt, plerumque breves atque simplices crines habent.

Simillimus est habitus capillorum mulierum. Quarum comae taenia conclusae modo simpliciter per cervicem, modo in anulos divisae in humeros profluunt. Neque insignes mediae frontis crines frustra quaeruntur. Singularis autem comptus Amphitritae in tab. 830 A est; crines enim taenia cincti in cervice ita retroacti et colligati sunt, ut non soluti, sed in formam sacculi, dependeant.

Atque raro mihi contigit ut crines illos media in fronte artificiose comptos in monumentis, quae extra artem Corinthiacam orta sunt, invenirem. Commemoraverim autem hoc loco nonnulla vasa Cyrenaica (cf. Mon. d. J. 1, 7) et laminam illam Cretensem ex aere factam (Ann. d. J. 1880 tav. d'agg. T) propterea quod in his monumentis frontis cincinnus apparet. Maxime autem memorabile est Corinthiacum illum capillorum habitum in iis, quae dixi, monumentis conspici, quae ratione et genere artis inter se propinqua esse iam dudum cognitum erat. Atque haud scio an suspicari liceat hunc habitum capillorum non Corinthi originem habuisse, cum alieni quidquam a Graeco more habere videatur.

Rarum capillorum comptum venatores in tab. 894 A gerunt; tribus enim taeniis ad libellam aequis in cervice cohibentur. Conferas velim simillimam pectendi crines rationem mulieris, quae in thorace illo in Alpheo reperto apparet. [1])

De barba non multa dicenda sunt; incipiens a capitis capillis et secundum aures per maxillas pergens prominensque in mento in acutum desinit. Superioris labri quoque barba brevis hic atque illic in tabellis videtur; in tab. 672 lineis incisis significatur. Etiam in nonnullis aliis tabellis (cf. tab. 368, 486), nisi oculi me frustrati sunt, Neptunus barbam superioris labri gerit. Sed in plurimis virorum figuris haec barba desideratur, quo demonstratur eam iis temporibus, ad quae tabellae pertinent, apud Corinthios non ita usitatam fuisse.

---

[1]) v. Bull. de corr. hell. 1883, tab. II. Etiam frontis cincinnus in hoc monumento occurrit.

II. De re vestiaria.

In rem vestiariam Corinthiorum hoc loco inquirere ideo maxime attinet, quod ipsae tabellae, qualis ea fuerit, optime docent. Atque initium ducamus a describenda virorum veste. Neptunus virique nobiliores duo vestimenta gestant, chitonem longum usque ad talos defluentem et himatium paulo brevius. Ille non Doricam formam habet, sed potius Ionicam; in humeris enim consutus et manicis ad cubitum fere descendentibus instructus est, quae longa sutura insignes sunt. Cingulo autem chiton arte cohibetur.

Cum chitonis habitus atque usus in omnibus tabellis idem fere sit, himatiorum duo genera internoscimus. Saepissime himatium est pannus oblongus, amplus atque magnus, qui hoc modo induitur: primum laevo humero atque cervici inicitur, ita ut parte defluente eius posticum latus corporis obtegatur; tum altera pars per pectus et ventrem atque inde sub dextero latere, ne brachium dexterum impediatur, super clunes et femora ad laevum latus ducitur, ubi extrema eius pars in laevo brachio imponitur.

Altera forma himatii non ita crebro in tabellis invenitur (cf. tab. 492, 667). Hoc ab himatio maiore eo discrepat, quod multo angustius est alioque modo corpori applicatur; a tergo enim utrique humero inicitur et brachia superiora velans ante pectus utrimque dependet.

Praeter longum chitonem brevior in usu fuit, qui usque ad media femora pertinebat et cingulo arte circumcludebatur.[1])

---

[1]) In tab. 699 hic in antica parte scissus est ita, ut pars pudenda appareat. — Hoc loco de opinione, quam Boehlau (Quaest. de re vest. Graec. pag. 69 sqq.) proposuit, breviter videtur dicendum esse. Qui cum in nonnullis vasis Corinthiacis virum in draconis caudam desinentem, quem Typhonem vel Typhoeum vocamus, vestimento indutum vidisset, quod chitoni simile in antica parte ante pectus scissuram habet, hunc chitonem antiquissimum Corinthiorum esse censebat. Sed ei non assentior. Nam hic chiton illis monstris proprius esse videtur, quorum typos non Corinthi inventos, sed aliunde importatos esse verisimile est, et, quantum scio, ne in antiquissimis quidem tabellis vel vasis Corinthiacis aliam figuram nisi Typhonem hoc amictam vides. Chitonem illum etsi perantiquum esse haud nego, tamen eum Corinthiorum antiquissimum esse non credo.

Quod vestimentum equitibus commune erat raroque eos vides nudos. Sagittarii quoque eo utuntur (cf. tab. 764, 771). Operarii autem, qui in metallis aut apud fornaces aut in officina figulorum laborant, plerumque nudi incedunt neque crebro brevi chitone induti sunt. Nonnunquam nautae quoque eum gerunt. Breviore quam equites chitone Diomedes in tab. 746 et venator in Timonidae tabella vestitus est. Clunes enim paene obtegens sub ventre resectus est ita, ut membra verenda non operta sint; quibus in Timonidae tabella pannulus oblongus [1]) de cingulo dependens tegumento est. Subligaculum etiam brevissimum in tabella quadam Parisina conspicitur.

Neque praetermittendum est vestimentum quoddam, quod nisi fallor, in his tantum monumentis invenitur, chitonem dico brevissimum, qui manicis fere carens ad coxas descendit atque inferiores partes corporis relinquit nudas. Quo chitone venatores in tab. 894 A et viri in tab. 873 B, 899 A [2]) induti sunt.

Amphitritae vestis, qua qualia fuerint vestimenta mulierum Corinthiarum discimus, non plane a veste Neptuni diversa est; e chitone enim et pallio constat. Attamen nonnullae diversitates maiores cernuntur. Chitones enim, qui arte corpus circumdant et zona cinguntur, manicis carent et parvis sinibus in utroque latere supra zonam dependentibus instructi sunt, [3]) quod idem in vasis Corinthiacis animadvertere licet. Himatium autem cum forma tum modo, quo gestabatur magis diversum est; pannus erat paulo longior, quam latior, qui cervici iniciebatur et supra humeros dorsumque usque ad genua defluebat. Persaepe inferiores partes eius resectae sunt, sed non ubique. Quare non licet putare in re vestiaria Corinthiorum illud legitimum fuisse. Saepius denique mulieres himatio occiput habent velatum.

---

[1]) Pannulus ille saepius in monumentis Cypriis conspicitur; cf. Perrot-Chipiez, Hist. de l'art dans l'antiquité III fig. 355, 358.

[2]) Conferas quoque virum in tab. 900 A. — Qui viri quid significent, perquam ignotum est. Habitus eorum est hic: alterum brachium curvatum tollunt, alterum eodem habitu demittunt; in 873 B viro canis, in tab. 899 A lepus additus est. Quibuscum comparare licet viros eiusdem formae, qui in vasis fragmento apparent, quod Micali in Mon. ant. tab. 98,2 de pinxit. In quo praeter viros etiam canes et fortasse leporem adiunctos conspicimus.

[3]) Hi deesse videntur in tab. 778.

Variis vestimentorum formis pertractatis videamus, quibus coloribus pictor illa expresserit. Qua in re usitatissimum est chitonem cum in Neptuni tum in Amphitritae simulacris argillae colorem habere, himatium rubrum esse; rarius ille colore diluto infectus, hoc rubrum aut ille colorem argillae ostendit, hoc nigrum est. A solito autem abhorret, quod in tab. 413 chiton ruber est, himatium nigrum. Plerumque igitur chitonem colorem argillae habentem, himatium rubrum cernis. Unde conicere licet Corinthiorum chitonem alio et candidiore panno factum fuisse, quam himatium.

Neque chitones neque himatia decoratione carent; non raro enim margines limbis vel suturis obtecti sunt; aut totus chiton maculis conspersus vel quadratis limitibus aliisque ornamentis ornatus est. Apparet mulieres Corinthiacas bene didicisse talia intexere vel acu pingere.

Denique mentionem fecerim tegumentorum capitis et pedum. Capita hominum, qui in tabellis conspiciuntur, plerumque nuda sunt; invenis autem nonnunquam galerum ab operariis gestatum [1]) (cf. tab. 810, 816). Soleatus saepius Neptunus apparet; soleae simplici et vulgari sunt forma. Calcei in tab. 831 videntur.

III. De curribus.

Currus, qui in tabellis apparent, exceptis minoribus proprietatibus temonis atque lorarum, quae in aliis quoque operibus Corinthiacis inveniuntur, vulgari sunt forma; de curru autem singulari, quem in tab. 507 vides, brevi dicendum erit. Pars superior eius quattuor assibus circumcluditur (cf. tab. 532); rotae formam maxime memorabilem habent; orbis enim rotae non radiis in umbilicum convergentibus, sed uno radio axi affixo, quo rota dimidiatur, et duobus longuriis parallelis aeque ab axi distantibus sustinetur. Quae rotae non circa axem torqueri, sed cum illo firmiter coniunctae videntur esse, ut fit in iis curribus, quibus in viis ferreis utimur, in quibus axes moventur et cum

---

[1]) Num iuvenis in tab. 849 petasum gerat, magnopere dubito.

his rotae. Haec forma rotae media videtur esse inter simplicem orbem de arbore rotundo desectum et rotam quattuor aut pluribus radiis instructam. Huiusmodi rotas ligneas maxime inhabiles neque satis duras etiam iis temporibus, quibus rotae vulgares in omnium usu erant, adhibitas esse admodum mirum est. Iam enim remota illa aetate, qua prostypa Mycenaea exsculpta sunt, rotae radiis instructae in Graecia notae erant. Qua de re opinor septentrionales illas gentes, quae aetate Doricae migrationis Graeciam meridionalem occupabant, cum minus eruditae cultuque inferiores essent, hocce genus rotarum secum tulisse atque per aliquot temporis in usu retinuisse.

Similes currus atque rotae nonnunquam in vasorum picturis conspiciuntur. Eius generis, quod descripsi, vehiculo usi agricolae magna vasa deportant (cf. Baumeister, Denkm. tab. I, 13 a), homines ad sacrificium vehuntur (v. Journ. of Hell. stud tab. VII), propinqui lugentes mortui cuiusdam corpus auferunt (v. Micali, Mon. ant., tab. 96, 1). Etiam in monumentis recentioris artis nonnunquam haec rara forma rotarum occurrit; conferas vas quoddam Atticum (v. Gerhard, A. Vb. I, 41), in quo Bacchus apparet atque alterum vas eodem loco (III, 217) depictum.

IV. De tridentibus.

Tridentium formae maximae variae non indignae sunt, de quibus breviter exponamus. Complura eorum genera discernenda sunt:

1) Tridentes in picturis ad modum sciagraphicum factis, tribus dentibus hebetibus et obtusis aut semel quattuor (in tab. 464) instructi.

2) Tridentes forma furcae vulgaris (cf. tab. 349, 378, 463, Gaz. arch. pag. 104 etc.).

3) Tridentes, quorum dentes breves arte in ipso scapo consistunt (cf. tab. 780; 813 etc.).

4) In transtillum modo directum, modo curvatum dentes, folia aut gemmae immissa sunt.

a) quae pediculo carent, quorum forma aut gracilior (cf. tab. 351, 372, 816 etc.) aut humilior est (cf. tab. 388, 453, 489 etc.),

b) quae pediculo instructa sunt (cf. tab. 475, 488, 799).

Utriusque generis formae coniunctae sunt in tridente, qui in tab. 385 apparet.

5) Tridentium cuspides, in modum gemmarum, calycum, loti florum formatae, ad ipsum scapum affixae sunt. (cf. tab. 348, 387; 384, 802: 471 etc.).

6) Formae rariores vel singulares (cf. tab. 539, 803; 809; 477).

Tridentis, qui in tab. 347 est, praecipue mentionem facio, quia dentes id quod rarissime vidi, uncinati sunt.

De his tridentium formis sic statuo. Neptunus antiquioribus temporibus, ut multi alii dii deaeque, sceptrum flore vel gemma coronatum[1]) gerebat et fortasse sceptri eius loti flores vel gemmae propria erant. Quo sceptro deminutione singularum partium, quae in artius cogebantur, telum ortum est, quod aetate, qua accolae orae maritimae piscatorio artificio quaestum faciebant, tridenti, qui saepius a piscatoribus adhibebatur, paulatim par fiebat. Itaque mea quidem sententia initio non tridens insigne Neptuni fuit, sed sceptrum et sceptri formae detritae et obscuratae postero tempore similis forma tridentis, qui deo marino aptus erat, substituta est. Exempla satis multa floris vel gemmae in tridentis cuspidem transeuntis in tabellis apparent. (cf. tridentes in tab. 471, 483, 843.)

Sceptrum autem vero tridente antiquius esse tabellae (cf. tab. 387) pro certo docent, neque putare licet vetustiore aetate tridentem sceptro significatum esse, quia saepius hoc vix ullam similitudinem cum eo habet. Etiam hoc plane negandum est artifices tabellarum morem antiquorum pictorum omnia ornamentis decorandi secutos cuspides simplicis tridentis in flores vel gemmas mutasse.

---

[1]) Conferas sceptrum, quod in Assyria tabella eburnea (Perrot-Chipiez, hist. de l'art dans l'antiquité II fig. 80, pag. 222; — v. Sybel, Weltgesch. der Kunst fig. 54, pag. 67) apparet.

Extra artem Corinthiacam sceptra Neptuni flore vel gemma ornata exceptis nonnullis perantiquis nummorum signis, quantum scio, non inveniuntur. Cuius rei causa videtur esse, quod typi Neptuni, quos primos Corinthi inventos et excultos esse verisimillimum est, tum demum aliis locis innotuerunt, cum sceptrum iam in tridentem piscatorum mutatum erat.

Neque mea, quam de origine tridentis exposui, sententia, eo improbatur, quod in tabellis eiusdem aetatis et antiquiores et recentiores formae apparent. Nam ut artifex quisque aut vetustiorem aut recentiorem imaginem imitabatur, ita aut sceptrum aut tridentem depingebat.

In hac commentatione non quaesivi, quantum tabellae ad historiam picturae Graecae planius cognoscendam conferant, cum talis quaestio huius libelli terminos transgrediatur neque apte nisi in historia universa antiquioris picturae Graecorum pertractari possit. Sed liceat rem brevissime attingere.

Primum considerandum est in pingendi ratione usuque colorum tabellas vix maiores proprietates praebere; iidem colores atque in vasis, idem eos adhibendi modus, idem lineamentorum incisorum usus. Qua in re tabellae cognitionem vetustioris picturae Corinthiacae non augent. Sed maxime eo excellunt, quod nobis aditum et perspectum in antiquiorem artem pictorum Corinthiorum aperiunt et quod docent, quae et qualia et quo artificio illi pinxerint quaeque potuerint. Cum enim vasorum imagines nobis nihil fere aliud, nisi heroum certamina et facinora, proelia, equites, currus vel ornamenta ante oculos ducant, in tabellis permagnus numerus picturarum invenitur, quae vitam quotidianam optime illustrent. Quo in numero habentur imagines metallorum, fornacum, navium, officinarum figulorum et aerariorum, imago praestigiatorum, aliae. Praterea non omittendum est, quamvis inscite et vitiose imagines tabellarum factae sint, tamen artifices operam dedisse ex vero effingendi similitu-

dinem et saepe illos facies virorum mulierumque, metalla, fornaces, operarios mirum in modum convenienter expressisse.

Sed cum de statu picturae Corinthiacae e tabellis iudicamus, nobis non neglegendum est imagines earum non esse artificia, sed potius opera celeriter et acervatim ab operariis facta, quae ab hominibus pauperibus emerentur. Quare conicere licet picturam Corinthiacam extra figlinam exercitatam iis temporibus iam altiorem perfectionis gradum assecutam esse.

Enumeratio tabellarum in „Ant. Denkm.“ depictarum.

Catal. Berol.	Ant. Denkm. Tab. VII.	Catal. Berol.	Ant. Denkm. Tab. VIII.
n. 368	n. 28	n. 557	n. 25
374	5	565	10
376	6	608	1
387	18	611	26
460	24	616	12
464	2	639	23
471	3	783	24
474	19	784	2
475	17	802 B	4
485	11	827 B	22
486	25	831 AB	3 b, a
489	20	846 AB	15, 13
493	10	847 B	9
495	1	868 B	18
497	13	869 B	17
507	4	871 AB	5, 7
539	21	885 AB	14 b, a
555	23	891 AB	6 b, a
764	15	893 AB	19 b, a
767	22	894 AB	16 b, a
780	26	900 A	20
873 B	16	909 B	21
899 A	27	933 B	8
905 B	14	934	11
907 AB	8, 12		
908 A	9		
910 AB	7 b, a.		

Hoc libello continetur: